

constitutis ea sollicitudo sit imminens et commissa, ut penitentibus et confessis de ipsius clementia veniae indulgentiam largiamur secundum signa penitentiae confitentium, quia venerabiles in Christo patres ac domini Gregorius de Crescentio sancti Theodori diaconus cardinalis anno domini M°.CC°.XXII°. in nostra diocesi sedis apostolicae tunc legatus ad preces sanctimonialium sanctae Crucis apud Misne venientibus singulis annis in festo exaltationis victoriosissimae crucis Cristi de iniuncta poena X dierum indulgentiam dedit, dominus etiam Conradus Portuensis et sanctae Ruffinae episcopus anno eiusdem gratiae M°.CC°.XXV°. legationis officio plene fungens XX dierum in festo iam dicto gratiam venientibus ad ecclesiam supradictam auctoritate apostolica indulsit: Nos diocesiana auctoritate et de dei omnipotentis clementia confisi omnibus in die praedicto ad eundem locum venientibus et cum devotione ad subventionem structurae loci eiusdem pro qualitate possibilitatis suae suas elemosynas independentibus dimidiam carrinam confessis pie et penitentibus indulgemus, ut et orationibus sponsarum Cristi quibus mundus crucifixus est et ipse mundo nostra fragilitas roboretur, et cum is qui exaltatus a terra omnia traxit secum signum suum in selo fecerit apparere, nos cum omnibus nobis commissis ad dexteram suam faciat cum eis quos in cruce redemit suo sanguine praesentari. Datum in ecclesia sanctae Crucis sanctimonialium apud Misnam XVIII° Kalend. Octobris anno gratiae M°.CC°.XXV° pontificatus nostri XVII°.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem zerbrochenen Siegel an Fäden von blassgelber Seide.

No. 395. 1227. 29. März.

*Das Domcapitel überlässt dem Kreuzkloster die von diesem beanspruchte Insel mit einem Mühlenplatz in der Elbe, wogegen dasselbe bei dem Ableben jedes Mitgliedes des Capitels Vigilien und Seelmessen halten wird.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Theodericus dei gratia praepositus, Petrus decanus totumque Misnensis ecclesiae capitulum. Cum ad exemplum mediatoris dei et hominum Jhesu Cristi fidelis quilibet, maxime nos qui divinis sumus informationibus instituti contentionum scrupulos et lites universas debeamus pro bono pacis et concordiae amputare, notum facimus tam praesentibus quam futuris Cristi fidelibus universis, quod cum super insula quadam et loco molendini in Albia constitutis inter ecclesiam nostram et monasterium sanctimonialium sanctae Crucis quaestio moveretur et ecclesia nostra utpote prima maioris iuris robore fulciretur, ad instantiam et preces venerabilis dominae Gertrudis abbatissae et sororum loci, pro dilectione etiam dilecti nobis et commendabilis viri Waltheri praepositi de communi consilio et consensu omni iuri vel etiam actioni, quae nobis in praefatis molendini loco et insula competebant vel competere videbantur, renuntiantes liberaliter et libenter gratum habemus et ratum, ut coenobium idem de supradictis utilitati et commodo suo consulat ea libertatis plenissimae titulo possidens, ita ut cum aliquis fratrum nostrorum de capitulo nostro vocante domino viam carnis ingressus fuerit universae,